



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

LIV. Der Bischof Gernand bestätigt eine Schenkung an das Hospital des Domstiftes, am 4. Februar 1227.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

curentur, sicut honorabilius et plenius pro loco et tempore potuerint procurari; advocatiam quoque villarum Garfeliz, Buchowe, Museliz atque Gorne et Kik, quam de manu domini Bederici buregravii, qui a nobis eam tenuit, redemistis, vobis et ecclesie vestre donamus cum omni plenitudine juris sui. Ut autem hec nostra donatio rata vobis permaneat et eternis temporibus inconvulsa, vos super ea presenti pagina sigilli nostri munimine roborata, duximus muniendos, sub anathematis interminatione districtius inhibentes, ne quis ausu presumat eidem temerario contraire vel ipsam quomodolibet violare. Testes autem hujus rei sunt: Alvericus prepositus Brandeburgensis, Reinerus prepositus Liezekeusis, Henricus prior, Henricus camerarius, Jacobus, cellerarius, Heidenricus custos, canonici Brandeburgenses, magister Helyas, plebanus de Secezere, Richardus, notarius noster, Johannes, Sancti Nicolai canonicus Magdeburgensis; laici vero Bedericus buregravius Brandeburgensis, Sifridus et Conradus fratres de Stegeliz, Albertus miles de Pretferewe, Daniel miles de Mukede, et Thidericus, prefectus, frater ejus, Marfilius, officiatu noster de Pretferewe, et alii quam plures. Datum Brandeburch, nonas Junii, anno ab incarnatione domini millesimo ducentesimo vicesimo sexto, pontificatus vero nostri anno quinto.

Nach dem Originale.

LIV. Der Bischof Gernand bestätigt eine Schenkung an das Hospital des Domstiftes,
am 4. Februar 1227.

Gernandus, dei gratia Brandeburgensis episcopus, universis in Christo fidelibus, presentem paginam inspecturis. — Daniel siquidem miles de Mukede piam habet cum desiderio voluntatem, sicut credimus et speramus desuper inspiratam, quatenus hospitali ecclesie nostre Brandeburgensis taliter in redditibus ampliandis juxta proprias facultates provideat et succurrat, ut pauperum Christi refectio tanto ibi fiat uberior, quanto per quantitatem impendii sui surgunt redditus hospitalis majoribus incrementis. Noverint igitur universi litteras has visuri, quo iure miles preter hos redditus, videlicet quatuor mansos, sitos in villa Verchiezere, et totidem in villa Pretferewe cum prato uno, quos diu contulerat hospitali, juxta quod in conscriptis super hoc privilegio continetur, nunc de novo resignavit in manibus nostris ad usus hospitalis ejusdem quatuor choros ordeii et filiginis octo modis minus, quos ecclesie de Pretferewe deputavit, et tres mansos, in villa Verden sitos, simul cum eadem annona, quos de manu nostra jure tenuit feudali, sic tamen, ut redditus illos ipse percipiat temporibus vite sue, cessuros ad sustentationem pauperum hospitalis post obitus sui diem. Et statuit quidem, ut canonici Brandeburgenses memoriam sui et uxoris sue Berte defuncte nec non et patrum, predecessorum suorum, singulis annis agant diebus anniversariis eorundem. Sed et nos, precibus ipsius militis inclinati et devotionis sue facilem impendentes assensum, quicquid nostri juris in ipsis mansis et choris fore dignoscitur, de consensu capituli nostri hospitali eidem libere donationis titulo duximus conferendum sub anathematis interminatione, districtius inhibentes, ne quis hujus facti processum temere presumat infringere, ita quod quicumque de ipsis proventibus ordinare presumpserit aliud, ipso facto excommunicationis poenam incurrat. Hujus autem facti processum literis nostris insertum, sigilli nostri munimine duximus roborandum, fidelium testimonio subscripto, quorum hec sunt no-

mina: Alvericus prepositus, Heinricus prior, Jacobus cellerarius, Heinricus camerarius, Heidenricus custos, Heinricus de Jezere, canonici Brandeburgenses, plebani vero Wilhelmus de Pretferewe, Heinricus de Plawe, Johannes de Bantiz, Jacobus de Milowe; sed et laici Conradus, miles de Clezeke, Conradus de Stegeliz, Thidericus prefectus de Pretferewe et alii quam plures. Datum Pretferewe II. Nonas Februarii anno gratie M°. CC°. XXVII°. pontificatus vero nostri anno VII.

Nach dem Original.

LV. Der Bischof Gernand verordnet den Domherrn Daniel von Mufede zum Verwalter des Hospitales, am 6. Januar 1230.

Gernandus, dei miseratione Brandeburgensis episcopus, omnibus Christi fidelibus, hanc literam auditoris, salutem in domino Ihesu Christo. Cum dominus Daniel frater et canonicus noster super hospitali Brandenburg edificando et procurando suam nobis frequenter exposuerit voluntatem et hoc multo desiderio studuerit adimplere, ita ut hanc dixerit primam esse causam, quare se religioni nostre tradiderit et applicuerit loco nostro, nos super hoc proposito suo et alio statu ejus fraterne illi ac pie providere volentes ex consensu capituli nostri concedimus illi, ut usque ad festum penthecostes proximum deliberet et extunc habeat optionem, vel in ecclesia nostra standi cum fratribus et regulariter in ea vivendi vel manendi Pritzerwe, nomine et vice ecclesie, tanquam administrator ipsius in curia et bonis, que ab ipso et per ipsum ecclesie sunt collata, sicut in conscripto super hiis privilegio continetur. Manens autem in villa et administratione bonorum, regulariter se gerat secundum ordinis instituta et in capitulo et tractatibus ejus vocis plenitudinem non habebit. Presidens etiam in hiis bonis, debita sua solvet, quantumcunque ipsi fuerit oportuna, et nichilominus hospitali domui providebit, quantumcunque oportunitas permiserit et facultas. Solutis autem debitis ad ecclesiam et vocis sue plenitudinem, si voluerit, revertetur. Quod si elegerit in ecclesia nostra stare, provisio ei dabitur hospitalis, et ipse Daniel coadjutor erit Heynrici de Clodene, quamdiu ipse in eodem officio permanebit, ac nichilominus juxta quod oportuna ei fuerit, et domui debita sua solvet, assumptis sibi duobus ex fratribus, quos voluerit, consciis, per quorum conscientiam illa solvat, sive residens apud nos fuerit, sive manens in villa. De sex autem mansis Mortzane hoc statuimus, ut census et annona trium mansorum exnunc et in perpetuum custodie nostre cedant, et alii tres mansi cum servitiis ipsorum sex mansorum ad domum pertineant hospitalis, vivente et procurante domum hospitalis domino Daniele; mortuo autem ipso vel domum ipsam voluntarie resignante, cedent omnes mansi et omnia jura eorum custodie memorate. Pascua glandium in sylva Mortzane ad opus cellerarie perpetuo pertinebunt. Quodsi hospitale porcos aliquos habuerit impinquandos, eisdem silve illius pascua concedentur. Acta sunt hec anno incarnationis dominice M°. CC°. XXX°. Datum Pritzerwe VIII. idus Januarii, pontificatus nostri anno IX.

Nach dem Original.